



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio prima. Vtrum amor prout est passio appetitus, sit principalis passio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

pertinet q̄ ipsi sciāt q̄ nullo modo possunt damnationē euadere, nec ad beatitudinē peruenire, propter quod desipiant de ea) ergo in eis nō est spes quoad habitum. Hęc autem ratio nō cogit quin habitus spei possit inueniri in beatis, nec alia apparet ad presens, nisi q̄ videretur frustra manere cum nō possit exire in actū suum principalem vt statim patuit. In Christo autē nunquā fuit spes, & si fuisset frustra fuisset propter eandem rationem.

3 AD PRIMVM argumentum dicendum quōd certitudo spei potest deficere prout dictum est in corpore solutionis, & ideo ratione possibilis defectus comparatur secum timorem.

4 Ad secundum dicendum quōd licet homo non sit certus se esse in gratia, & ideo non habet de hoc certitudinem scientiā, experientia vel alterius cuiuscumq̄ certae cognitionis, habet tamen ex spe certitudinem inclinationis ad habendum vitam æternam quæ certitudo sufficit ad certitudinem quæ habetur per spem de vita æterna consequenda.

11.1. d.
37.4.

Sententia huius distinctionis. XXVII.
in Generali & Speciali.

Q VVM autem Christus. Superius determinauit magister de Fide & Spe. Hic determinat de Charitate. Et diuiditur in duas. Primò determinat de charitate humana qua nos diligimus Deum. Secundò determinat de charitate qua Deus diligit nos di. 32. Præmissis adiciendum. Prima in quatuor. Primò determinat de habitu charitatis. Secundò de numero diligendorum ex charitate dist. 23. Hic potest quæri. Tertiò de ordine diligendi di. 29. ibi, post prædicta de ordine. Quarto de charitatis duratione ibi, illud quoque non est præmittendum. Prima est principalis lectionis. Et diuiditur in tres. Primò continuat se ad præcedentia. Secundò prosequitur suā intentionē ibi, charitas est dilectio. Tertiò continuat se ad sequentia ibi, sed quia hac dilectione. Hęc est diuisio &c.

1 IN Speciali sic procedit. Et primò proponit q̄ licet Christus fidem & spem nō habuerit, tamen inquantū homo tantam habuit charitatem q̄ maior esse non potest, quia pro nobis animā suā posuit, & ad diligendum nos inuicem nobis exemplum dedit. Deinde de charitate, de modo, de ordine diligendi Deum, & proximi proponit esse inquirendum. Postea diffinit charitatē dicens. Quod charitas est dilectio qua deus propter se, & proximus propter deum diligitur, & sic cōtinet duo mandata. Primum est diligere Deum, deinde proximum in quibus duobus præceptis tota lex pendet & Propheta. Postea quærit utrū eadem sit dilectio qua diligimus Deum & proximum, an diuersæ. Et respondet q̄ eadem est dilectio, sed distinguitur quoad hoc, quia Deum diligimus propter se, proximum autem propter Deum, & hoc auctoritate Aug. confirmat, subdit autem q̄ quāuis sit vna dilectio Dei & proximi differt tamen propter duo dilecta. I. propter Deum & proximi, propter quod sunt duo mandata, quia quāuis sit dilectio vna, tamen diligere præcipiuntur, vel dicitur gemina propter duos motus qui in mente geruntur ad Deum & proximum diligendum. Postea ponit modum dilectionis qua diligimus Deum: propter se, proximum autem propter Deum, hic autem modus dilectionis tangitur cum dicitur, Diliges proximum tuum sicut teipsum, id est, propter quem teipsum diligis, proximum diligere debes, quod confirmat auctoritate Aug. Postea ostendit modum diligendi Deum, quia ex toto corde, id est, intellectu, ex tota anima, i. voluntate, ex tota mente, id est, memoria, vt omnē cogitatum, vitam, & omnem in intellectu in eum referas a quo omnia prædicta habes.

Postea dicit q̄ ille modus dilectionis Dei non potest impleri in via ex toto, sed ex parte, quia imperfectè diligimus, quod probat per hoc quod caro hic semper est rebellis spiritui quæ impedit a perfecta dilectione, sed in patria vbi tollitur imperfectum, diligemus perfectè. Postea quærit quare datur hoc præceptum de dilectione Dei cum in via impleri non possit, & respondet q̄ nullus scit rectè currere nisi sciat quo est curvendum, similiter nec Deus diligi sciretur nisi per aliquod præceptum ostenderetur, & quāuis hoc præceptum in via totaliter nō impleatur, tamen impletur ex parte, quia secundum perfectionem cognitionis via nō comprehensionis. Postea dicit prædicta

duo præcepta charitatis sic esse connexa q̄ vnum eorum pro vtroq̄ ponitur, nec immerito, quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest, & qui Deum diligit nō contemnit proximi quem Deus diligit, nec in eo diligit nisi Deū quod multis exemplis cōfirmat. Vltimo continuat se ad dicenda, dicens inquirendum esse post quæ ex charitate diligenda sunt. Et in hoc terminatur &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Verum amor prout est passio appetitus sit principalis passio.

CIRCA distinctionē istam quæritur primò, vtrum amor prout est passio appetitus sit principalis passio. Et arguitur quod non, secundū Aug. 2. q. nemo est qui nō magis dolorē fugiat q̄ appetat voluptatem, ex quo sic arguitur, principalis fugitur malum q̄ appetatur bonū, sed si ga mali est per odiū, appetitus autē boni est per amorem, ergo odium est principalior passio quā amor.

2 Itē denominatio sit a principaliori, sed appetitus tū irascibilis q̄ concupiscibilis denominatur ab ira & concupiscentia, ergo sunt principaliores passiones quā amor.

3 Item quod vincitur ab alio est minus potēs & minus principale, sed amor vincitur ab ira, quia ira odium generat, ergo ira est principalior passio quā amor.

4 IN CONTRARIVM est, quia amor cōparatur igni & morti, Cant. 8. sed nulla passio est vehementior quā ab istis, ergo &c.

5 Item Aug. dicit q̄ omnis affectio ex amore est.

6 RESPONSI O. Quāuis amor prout est passio propriè pertineat ad appetitum sensitiuū, tamen nomen amoris absolute inuenimus pertinere ad appetitum intellectiuū & sic amor est quædā affectio magis q̄ passio. Et quia ois passio est affectio & nō e cōuerso, ideo loquendo de amore cōmuniter prout dicit affectio pertinetatem tam ad appetitū sensitiuū q̄ ad intellectiuū. Dicendum est ad quæstionē q̄ aliqua passio vel affectio potest dici principalior dupliciter, aut quia prior, aut quia cōpletio. Si primo modo sic amor potest cōparari ad passiones vel affectiones quæ sunt respectu mali vt odiū, ira, timor & huiusmodi, vel ad passiones quæ sunt respectu boni, vt desiderium & delectatio. Si comparatur ad passiones quæ sunt respectu mali sic amor est principalior affectio, quia prior & efficacior. Quod sit prior patet primo, quia sicut se habet habitus & priuatio, affirmatio & negatio ad cognitionē, sic se habet bonū & malum ad appetitum, sed habitus & affirmatio prius natura cognoscuntur q̄ priuatio & negatio, priuatio enim nō cognoscitur nisi per habitum, nec negatio nisi per affirmationē, ergo similiter actus appetitus prius cadit super bonū q̄ super malum quod est priuatio boni. Secūdo, quia in illud prius mouetur appetitus cuius formalis ratio includitur per se in ratione finis q̄ in illud cuius ratio nullo modo includitur in ratione finis, sed ratio boni per se includitur in ratione finis, ratio autē mali nequāq̄, ergo prius naturaliter mouetur appetitus in bonū q̄ in malum. Minor de se patet, sed maior probatur, quia finis est prior in intentione quæ est actus appetitus, & ideo illud q̄ per se includitur in ratione finis per prius se habet ad appetitū, sic igitur patet, q̄ cōparando amorē ad affectiones quæ sunt respectu mali, amor est principalior affectio, quia prior, & nō solum sic, sed quia efficacior, cum enim malum nō agat nisi virtute boni secundū Dion. bonum autē agat secundum se, idcirco efficacius bonū mouet appetitum q̄ malum ipsi oppositum, quia enim quæritur bonum ideo refutatur vel fugitur oppositū malum, si autem amor cōparetur ad alias affectiōes quæ sunt respectu boni vt sunt desiderium & delectatio.

7 Sic de ordine amoris ad desiderium & delectationē est duplex modus dicendi. Vnus est q̄ amor nō præcedit desiderium & delectationem secundum rem, sed solum secundū rationē, quia desiderium & delectatio nō distinguuntur ab amore nisi sicut inferiora a suo superiori, quia vniuersale desiderium vel delectatio est quidā amor, & nullus est amor in re qui non sit desiderium vel delectatio. & hoc

probat dupliciter. Primo sicut se habet appetitus naturalis consequens totam naturalem ad actum sibi convenientem, sic appetitus sequens cognitionem se habet ad actum sibi proportionatum & convenientem, sed appetitus naturalis puta gravitas solum habet duplicem actum scilicet moveri ad locum non habitum & quiete. e in loco habito, ergo similiter appetitus sequens cognitionem non habet nisi duplicem actum. scilicet moveri in bonum non habitum, & quiete in bono habito, sed primum pertinet ad desiderium, secundum ad delectationem, ergo praeter hoc appetitus sequens cognitionem non habet aliquem alium actum. Secundo sic, omnis amor vel est boni habitus vel non habitus, si habitus est delectatio, si non habitus est desiderium: ergo non est alius actus praeter delectationem & desiderium. Pro hac opinione videtur esse Aug. 14. de civitate dei, ubi dicitur quod amator inhians habere quod amatur cupiditas est, illud autem habens eorum fruens letitia est.

2. Alius modus dicendi est quod amor est actus distinctus a delectatione & desiderio & est prior utroque. Quod probatur, voluntas fertur per amorem in bonum per cognitionem, sed bonum potest cognosci dato quod non cognoscatur ut habitum vel non habitum sicut superius & commune potest cognosci sine quolibet inferiori, ergo bonum sic cognitum potest a voluntate amari, sed talis amor non potest esse desiderium quod est de bono ut non habito, nec delectatio quae est de bono habito, ergo amor est actus distinctus a desiderio & delectatione. Est etiam prior, prius enim afficitur voluntas ad bonum & ei concipitur in eo, deinde tendit in ipsum per desiderium si non sit habitus, ultimum vero quietitur per delectationem in bono habito, & secundum hanc viam adhuc amor est principalior affectio inter affectiones quae sunt respectu boni, quia prior. Alio modo dicitur aliqua passio vel affectio principalior, quia completior, & sic amor non est principalis passio, sed tria quatuor. scilicet gaudium, tristitia, spes, & timor, cuius ratio est quia completum & principalitas passionis consistit in duobus. Unum est ex parte obiecti. scilicet ut sit motus appetitus tendentis in obiectum secundum rationem & aptitudinem obiecti, ut scilicet bonum prosequatur, & fugiatur malum.

Secundum est ex parte ipsius passionis, ut scilicet motus ille sit perfectus quantum est possibile secundum genus suum, & secundum hoc inveniuntur duae principales passionis in appetitu concupiscibilis. scilicet gaudium, vel delectatio & tristitia, in istis enim duabus completur finaliter & terminatur omnis motus concupiscibilis, & secundum convenientiam obiecti, nam in delectatione de bono habito terminatur omnis motus concupiscibilis respectu boni & secundum convenientiam ad obiectum, in tristitia vero quae est de malo habito quod repellere non potest, terminatur omnis motus concupiscibilis respectu mali & secundum convenientiam obiecti, quia sicut convenit bono ut appetatur, & in eo quieteatur, sic malo convenit ut fugiatur, & si non possit quod displiceat, & hoc fit per tristitiam sicut primum per delectationem, & sic delectatio vel gaudium & tristitia sunt principales & completivae passionis appetitus concupiscibilis, spes vero & timor sunt principales passionis appetitus irascibilis, non simpliciter, sed quantum est possibile in illo genere, quia motus irascibilis in quantum huiusmodi non terminatur in obiectum praesens, quia obiectum irascibilis est bonum arduum quod habet difficultatem ad assequendum, bonum autem praesens & habitum talem difficultatem non habet propter quod ad obiectum praesens non terminatur motus irascibilis tanquam ad terminum proprium sui generis, sed proficitur in certitudine inclinationis ad suum obiectum, hanc autem certitudinem respectu boni habet spes & secundum convenientiam obiecti, quia de natura boni est (si non sit habitus) ut expectetur, similiter talem certitudinem habet timor respectu mali, & secundum convenientiam eius, quia de natura mali est, ut fugiatur, & ideo consuevit numerus & sufficientia istarum passionum principalium sumi secundum differentiam boni & mali praesentis & futuri, quia delectatio est de bono praesenti in quo finaliter quietitur. Tristitia vero de malo praesenti cui remurmuratur. Spes vero de bono futuro in quod reditur. Timor vero de malo futuro a quo fugitur, & quia amor non dicitur de se motus appetitus vel quiete secundum complementum & terminum motus praedictis, ideo non ponitur principalis passio vel affectio

10. Ad rationes in oppositis dicendum est ad primam quod magis appetitur bonum quam fugiatur malum illi oppositum, & plus appetit vniuersaliter voluptatem quam fugiat tristitiam illi voluptati oppositam, nullus enim fugit malum vel tristitiam nisi quia appetit bonum & delectationem oppositam, & ita fuga mali & tristitiae oritur ex amore boni, seu delectationis, nihil tamen prohibet quod aliquis dolor plus fugiatur quam delectatio appetatur in quantum dolor ille priuat maius bonum quam sit delectatio, sicut dolor qui consistit in diuisione corporis priuat vitam vel tendit ad priuationem vitae quae est maius bonum quam sit delectatio venerea, vel quaecumque alia delectatio corporalis naturae superaddita, & sic loquitur Aug. quod nemo est qui non magis fugiat dolorem corruptiui quam appetat voluptatem superadditam naturae corruptiui quam plus diligitur & appetitur quam dolor corruptiui eius fugiatur, & hoc est verum vniuersaliter in delectatione & dolore sibi directe oppositis.

11. Ad secundam dicendum quod concupiscentia & ira non sunt principales passionis, quia concupiscentia vel desiderium cum pertinet ad appetitum concupiscibilem & sic de futuro non est completa passio, quia motus concupiscibilis terminatur in bono praesenti, ira vero non habet motum in malum secundum convenientiam mali, quia habet motum in ipsum non quidem ut fugiendum quod est secundum convenientiam mali, sed in ipsum aggressiendum, nec obstat quod appetitus concupiscibilis & irascibilis denominatur a concupiscentia & ira, quia denominationes non semper sunt a principaliori, sed quandoque ab euidentiore, quia concupiscentia inter omnes passionis appetitus concupiscibilis euidentiore est & magis sensibilibus, quia est de futuro & non de habito, & secundum Aug. 10. de Trin. amor magis sentitur tum cum prodit indigentia, ideo ab ipso tanquam ab euidentiore & magis sensibili denominatur potentia concupiscibilis, per eandem rationem denominatur irascibilis ab ira, quia est ultimum in passionibus eius & ideo est euidentiore maxime quia crebrius prodit in exteriorem actum.

12. Ad tertiam dicendum quod amor non vincitur ab ira in virtute propria, sed in virtute alterius boni quod plus amatur, sicut corrumpitur amor quae aliquis habet ad alium ex hoc quod in alio perpenditur aliquid quod est contrarium bono proprio & amoris quae habet aliquis ad seipsum, & quia maior est amor hominis ad seipsum quam ad alium, quia amabilia quae sunt ad alterum veniunt ex his quae sunt hominis ad seipsum, ideo per iram corrumpitur amor ad alterum, quia est contrarius amoris hominis ad seipsum.

QUESTIO SECUNDA.

Vtrum amor Dei habeat modum.

Thom. 2. 2. q. 27. ar. 6.

Secundo quaeritur, de amore prout pertinet ad charitatem, vtrum dilectio, vel amor dei habeat modum. Et arguitur quod sic, primo per Aug. qui dicit de his tribus quae sunt modus, species, & ordo, quia ubi haec magna sunt, magnum bonum est, ubi parua paruum, ubi nulla nullum, sed constat quod dilectio est magnum bonum, ergo haec tria sunt in dilectione dei, ergo habet modum.

2. Item habitus appetitus modificatur in actu suo per habitum intellectus, sicut virtutes morales modificantur per prudentiam, sed si haec quae perficit intellectum in actu suo habet modum secundum illud Rom. 12. non plus sapere quam oportet sapere, ergo fortiori ratione charitas habet modum in actu suo.

3. IN Contrarium est quod dicit beatus Bern. in lib. de diligendo deum, causa diligendi deum Deus est, modus autem sine modo diligere.

4. RESPONSIO. Dicendum quod in dilectione dei & in actu cuiuscumque virtutis potest accipi triplex modus. scilicet secundum limitationem essentiae, & secundum determinationem circumstantiae, & secundum proportionem modum ad suum per se ipsum & diminutum, si primo modo sic dicitur est, quod dilectio dei habet modum, cuius ratio est, quia omne illud quod est in certo genere, & in certa specie habet modum secundum limitationem essentiae, sed dilectio dei est in certo genere & in certa specie, ergo habet modum secundum limitationem essentiae. Si autem loquamur de modo quo ad determinationem circumstantiae sic adhuc dilectio dei habet modum. Quod patet, quia sicut se habet malitia ad actum